

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0037

0035

0041

0031

0046

0026

0086

0136

0536

1036

Ende

Anfang

26

super murum, et ab alia parte super caput vel collum alterius peregrini descenderet, et omnes murum transgressi sumus, et in unam obscuram capellam venimus, in qua nihil videre potuimus, nisi cum luminibus. In capite capellae est unus specus sub rupe, in qua creditur sanctissimus Baptista natus fuisse. Ad hanc erga specum inclinavimus nos, et deosculato loco indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus, et non modicum consolati et recreati et quodammodo in fide consolidati fuimus. Ex illa enim desolata specu ob merita praecursoris suavis et bonus odor spirat, quo sanctus praecursor terram osculatam suae nativitatis reosculatur et resalutat quodammodo, et nisi hoc remedio Deus nos consolatus fuisset, cum non modica tristitia in illo loco fuissemus propter sancti loci magnum despectum. Ecclesia enim, licet alta sit, et testudinata, et adhuc depicta, tamen stabat plena bestiis, asinis et camelis, et non erat ibi nisi fimus et stercus, et magnus foetor, ita, quod ex ecclesia sancta factum est stabulum bestiarum. Per circuitum ecclesiae erant ruinae multae domorum, in quibus olim clerici et Dei servi residebant, jam vero est una misera rusticalis habitatio in loco.

### Desertum Johannis Baptistae.

Ultra vallem dicitur esse desertum S. Johannis Baptistae, in quo habitavit adhuc puer existens, ut dicitur Lucae 1.: Puer autem crescebat et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suae ad Israel. Unde Hieronymus Serm.: Illo vero: Ecce ego mitto angelum meum. Plane angelum, qui post materni ventris hospitium eremi secreta sectatus, ubi parvulus cum serpentibus lusit. Haec contra Luciferianum haereticum. Nam anno aetatis suae V. vel VII. corruptelam mundi fugiens desertum petiit, et vitam eremiticam duxit XXV annis. Unde canitur de eo: Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam fama posses. Quia secundum Bernhardum ratio urget, justitia dietat, ut homo se totum illi tradat, a quo totum se habet. Et sic Johannes, ut servaret mundas manus, quibus Christum tangeret, et oculos, quibus